

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXXXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

## LXXXIII.

*Salutem in Christo. Reverende D. Doctor,*

*amice carissime.*

**G**Ratum nobis officium fecisti, quod exemplar libelli tui de Cœna Domini nobis communicasti. Ego inter occupationes bonam ejus partem ferme usque ad finem perlegi, idque non sine magna delectatione, propterea quod ubique apprehendi eandem vocem doctrinæ, quæ in nostra etiam Ecclesia Dei beneficio sonat. Et non dubito fore, ut multi vestra hac confessione & erudiantur & confirmantur, propter vestram celebritatem & autoritatem Ecclesiæ vestræ. Illud, quod omninò necessarium fuit, valde probo, quod Heidelbergenses Sacramentarios nominatim taxas & refutas. Nam ego rei dignitate permotus aliquoties mihi proposueram, Erasti Medici scripto responsionem aliquam opponere, sed existimavi, per alios in vicinia rectius hoc fieri posse. Et illud jam à te factum esse gaudeo. Præcipuè verò eruditam & solidam illam explicationem, quam de veterum sententiis instituisti, valde & probo & laudo. Prudenter etiam disputationem de ubiquitate ita moderaris, quod hoc præcipuè urges, corpus & sanguinem Christi in omnibus illis locis adesse, in quibus Cœna Dominica juxta ipsius institutionem celebratur. Video enim, quot incommoda secum trahat, quando disputatio illa de ubiquitate nimis latè extenditur, ut incipiamus disputare de lignis, lapidibus, pomis, piris, &c. Adversarius etiam noster Bremensis hoc querebat, ut à fundamentis verborum institutionis abduceret ad labyrinthos illos disputationum de ubiquitate, sed nos secuti sumus Lutheri consilium, qui in confessione majori folio 187. Wittebergens. monet, fundamentum in hac controversia collocandum esse non in disputatione de ubiquitate, sed in verbis institutionis. Ego valde jam occupatus sum pertinendo examini decretorum Concilii Tridentini, quod data mihi à Lusitano quodam occasione instituo. Et prior pars, ut arbitror, ad imminentes jam nundinas prodibit. In altera adhuc laboro. Erythræum vestrum magnopere vellem tractationem de Cœna Domini, cujus partem edidit, absoivere. Bene & feliciter vale, & totum Ecclesiæ vestræ ministerium reverenter meo nomine salutabis. Brunsvigæ, 5. Augusti, 1565.

T.

Martinus Chemnitius, D.

## LXXXIV.

**S**Hic præsentium lator, homo Anglus est, qui ex Italia ipsaque Roma patriam repetens, videre & alloqui cupit pios & doctos viros. Contulit mecum familiariter multa & videtur vere candidus, & proin dignus, qui

Cc 2

humana-